

Epistula Aurorae Tithono

Quae tibi verba lego, Tithone, ego pallida scripsi
amentemque dolens te nimiumque senem.
A multis viduam me non intellegis annis:
te praesente moror sola, vorata metu.
Nitor ut amborum mentes nos percipiamus, 5
at tibi iam caeci vox mea et ipse nitor.
Quem voco? Quem vafrum¹ dilapsam posco iuventam?
Quaesivi: culpam solvere nostram opus est.
Forsitan ipse velis, si in te quoque prisca voluntas,
quid factura ego sim scire, futura timens. 10
Longius aeterno nequeo te visere labi,
perdere teque paro. Percipis hunc gemitum?
Quae tunc tam volui numquam me nunc voluisse
malim: quam melius mortuus at iuvenis!
Nempe tui memini, pridem sic corpore pulchri; 15
nec iam, qualis eras, callidus esse soles.
Occulteque die mirabar nocteque eunte
vix exspectabam te revidere oriens.
At non formosum videor mihi corpus habere:
si quid pulchri habeo, pulchrior es facile. 20
Denique quidnam aliud facerem puer ut meus esses?
Tunc nihil, heu!, recti: te subito rapui.
Te subito rapui iuvenem multoque venustum:
quo curris propero tempus inane pede?
Lucida caesaries spargebat lumine certa 25
vultum et adhuc validum pectus, amate, tuum,
eque tuis oculis fulgentia fragmina solis
tum pervaserunt viscera corque meum.

¹ Aurorae questus ad Iovis fraudem pertinet.

Quomodo clarior es me quae sum ancilla diei
 atque Aurora vocor? Nescio; tu tamen es. 30
 Nusquam alibi ni in te possem me perdere totam;
 me spectavisti: perdita tota fui.
 Num meminisse potes noctem traxisse in amore
 nos duo tunc primam? Forsan et ipsa abiit.
 At tu me quoque tum cepisti, oblivio mentis! 35
 Tantum oblita mei surgere paene fugit.
 Me repetentem ad te poscis non rursus abire:
 namque, ut amavi ego te, me quoque nunc ita amas.
 Nolens debebam; questusque ab amante relinqui²
 tandem me pateris lumina ferre polo. 40
 Tunc nos felices fuimus quod amavimus ambo,
 sed non aeterna est fervida laetitia;
 neve tua subita me denique morte relinquo
 serius ocius, heu!, tempore in hoc timeo.
 Inter spem curamque hominem te vivere nolo: 45
 quando es mortalis, talia fata tibi.
 Reprimere hunc obitum decerno Iovemque precari
 semper eundem te vivere posse meum.
 Iuppiter ut me audit consentit; tum quoque ridet:
 “Vivat abhinc ut vis: idem homo, non iuvenis” 50
 Lugeo te fraudemque, velimque extinguere dicta,
 sed sunt invicto ferrea pacta Iovi.
 Nulla tibi ignaro potui tunc dicere, turpis,
 sed mea culpa est te posse mori minime.
 Hoc tibi nunc fateor maeroris noxia nostri; 55
 tu tamen haud sequeris aspera verba mea.
 Post pactum redeo. Me expectans, sponse, cubili
 velle ais uxorem ducere me propere.

² Cf. Ov., *Fast.* 6, 473.

Adnuo sed tristis: scio te mecum esse futurum;
num quoque eris laetus? Nescio et hoc timeo. 60

Tu tamen interea semper me dicis amare:
laeta fui. Tanto fallere vis, male amor?

Mature tibi do natos, qui funditus ambo
sunt fortes, Memnon Emathioque tui³.

At rapit interea tempus te unaque senescis; 65
nescius at pacti prosperus es genere.

Albam tum video cadere et rarescere totam
ore comam in pulchro, sponse, tuisque umeris.

Concidit Emathio⁴. Sumus ambo horrore repleti:
natis non iustum te superesse tuis. 70

Sic dicis. Sed ego hoc timeo ne aetate senescas
maestaque ne possis noscere pacta mea;

Alcidae precibus cum dat densis Iolao
diva iuventam, et ego tum tibi posco eadem.

Haec multi poscunt (incedit coniugis aetas), 75
at qui decepit me, omnibus ipse negat⁵.

Despero atque animo descendit ab ore tenebra,
maeror me capiunt altaque maestitia.

Tunc aliquem (fateor) volui temptare virentem,
sed iocus ille fuit, te modo semper amo. 80

Clarus erat Cephalus⁶, Cephalo mihi clarior es tu:
haec tibi dicebam; tu tamen et senior.

Haec tibi dicebam, sed lassa amentis amati,
quem nec amavi, tunc ipsa tamen rapui⁷.

³ Cf. Hes., *Theog.* 984-985: Τιθωνῶ δ' Ἠὼς τέκε Μέμνονα χαλκοκορυστήν / Αἰθιόπων βασιλῆα, καὶ Ἡμαθίωνα ἄνακτα.

⁴ De caede Emathionis, cf. Diod. Sic., *Bibl. Hist.* 4.27.3. Aurora, cum mater sit, plura de filii sui malignitate non dicit.

⁵ Scilicet Iuppiter: cf. Ov., *Met.* 9, 400-441.

⁶ Cf. Ov., *Her.* 4, 93-94.

⁷ Cf. Eur., *Hipp.* 454-456: ἴσασι δ' ὡς ἀνήρπασέν ποτε / ἢ καλλιφεγγῆς Κέφαλον ἐς θεοὺς Ἴεως / ἔρωτος οὐνεκ': in hac epistula, tamen, Aurora se Cephalum non amavisse dicit.

Primum Procris erat fido illi semper in ore ⁸ ,	85
sed cum nuda fui, Procris imago procul.	
Noxius ille cupit Procrin deprendere sontem	
immutoque eius corpus et ipsum animum ⁹ .	
Cur narro haec tibi si me non intellegis ultro?	
Fari maesta velim, sed tibi serius est.	90
Omnia nunc dicam: nam postremum esse videbo	
(percipis haec?) ego te sic, hominem atque senem.	
Te perdam. Quare id faciam fortasse requiras ¹⁰ ,	
sed tu nulla e me quaerere plura potes.	
Dicam cuncta tibi deflens, Tithone, silenti	95
quae iam scis sed tu non meminisse potes.	
Memnon noster erat quondam validissimus heros	
et te iactabas illius esse patrem.	
Audax ille venit Phrygiorum ad moenia summa	
ut vera evadant denique fata sua.	100
Pugnat magno animo Troiae cum luce parentis:	
illustrans caelum lustrat et ipsam aciem.	
Tum venit Aeacides ¹¹ ... sed nolo dicere plura.	
Quam melius te est haec non meminisse patrem!	
Mortuus es Troiae et iam post, me nate, dolore	105
ima repleta tuo cordis, amate, mei.	
Memnona ploravi mater ¹² . Tunc rore recenti	
primum orbem sparsi, Memnona sic lacrimans ¹³ .	
Cum cernis venientem me natumque querentem,	
quid, Tithone, facis? Flesne scelesta dolens?	110

⁸ Cf. Ov., *Met.* 7, 708. Aurora veritatem Cephali narrationis subvertit.

⁹ Cf. Ov., *Met.* 7, 721-722.

¹⁰ Aurora celeberrimum Catulli locum laudat, id tamen subvertens: omnium nam oblitus Tithonus.

¹¹ Cf. Ov., *Met.* 13, 576-582.

¹² Cf. Ov., *Am.* 3, 9, 1.

¹³ Cf. Ov., *Met.* 13, 621-622.

Heu, minime! Nec me solans complecteris ultro,
 sed me maerentem conspicis atque taces.
 Atque utinam aeterno, quam vives, tam tacuisses!
 Lugubris at dicis te quoque velle mori.
 “En nemora et luci” dicis “naturaque tota 115
 quae longaevaeque sunt, tempore deficiunt¹⁴.
 Deficit aes aliquando et certe deficit aurum,
 arescitque mare et sidera dissiliunt.
 Ipse perit mundus, plane contractus in unum:
 tantum ego ibi maneo iam nimiumque senex. 120
 Occidit in bello Memnon, Aurora, furenti?
 Fortunatus erat: namque mori potuit”.
 Nunc tu nec loqueris nec sentis; quaeque solebas
 iam dudum pridem, non potes efficere.
 Restinctum ex oculis lassis tibi amabile lumen 125
 mensque vagat longe. Solveris, attamen es.
 Denique quae possit sibi diluescere grate
 quisque supremam optat, lassus adesse, diem.
 Grata superveniet quae tam sperabitur huic mors,
 terminus aerumnis unus et alta quies. 130
 Postremi tibi laetitiam, Tithone, diei,
 quae lasso prodest sacra homini, rapui.
 Quamvis haec cupiam, nequeo tibi reddere letum,
 sique meam vitam possem, ego sponte darem.
 Nec tamen haec possum facere et, Tithone, relinqui 135
 a te non cupiam. Quid faciam autem aliud?
 Pascere¹⁵ a me tu mutatus rore cicadam¹⁶
 (de me, de lacrimis nascitur ille meis):

¹⁴ Cf. A. Tennyson, *Tithonus*, v. 1: “The woods decay, the woods decay and fall”.

¹⁵ Cf. Verg., *Buc.* 5, 177: Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadae.

¹⁶ Cf. Serv., *In Georg.* 3, 328: QVERVLAE CICADAE canorae: [...] certe “querulae” propter illam fabulam, quod Tithonus, maritus Aurorae, post optatam longissimam vitam in cicadam dicitur esse conversus.

sic erimus semper coniuncti tempore cuncto,
 sic poteris forsā vel meminisse mei. 140

Quomodo tunc potero quae dico absolvere tota
 si quoque nunc tibi iam tanta parans lacrimo?

Nescio, sed tibi opus. Sic angī tuque dolere
 iam non debebis. Semper, amate, vale.

Lumina tunc visam fieri sic nescia veri: 145
 numquam iterum poteris denique velle mori.